



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

L. Visum prope cæca perspicacem recipit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

& viuidum deprehendit , asturgit , & absque dolore illud circumagens , inclamat & ipsa , se Sancti Ignatij inuocatione ac miraculo persanatam.

Nec huius diei beneficentia , hic finem habuit. Mariae Sanctissimae ad cæcitatem nihil deerat præter extinctionem tenuissimi luminis quo solum admota propius , tanetis confusè , & quasi per nebulam cernebat. Sibi hæc etiam integrum visus facultatem à sancto petuit , seque rem sacram in eius honorem temel curaturam ; & exorauit confessim quod rogarat. Velut enim quiddam euelli sibi ex oculis visum est , quos in diuersa repente coniiciens eminus , cominus probauit esse vbiique perspicaces.

Excellit tamen in his Munibregæ diuinitus gestis , Bernardæ Benediddiæ Philippi Gomesij vxoris sanatio. Nam cum esset annorum duorum , & tringinta , postremos octo cōflictata fuerat tot malis , ut prodigo haberetur quod viueret. Brachium vlcere , pulmo tæbe , pectus plaga languebat , ore sanguinem purulentum mittebat saepius , cruciatibus stomachi acerbissimis torquebatur , iamque sexennio quicquid cibi sumpsisset , reiectare post paullum cogebatur. Ac demum subinde patiebatur animi periculosa deliquia : huic erat filius adolescens , qui edita illuc quæ dixi prodigia , quorum & ipse spectator fuerat , matri referebat , rogans confidenter & supplicans , ut se quoque vellet in beati facellum , quocunque tandem modo importari , ubi cum alias usque adeò facile fuissent morbis expeditæ ; multo proclivius id esset adeptura quæ grauius aliis , & miserabilius laborabat. Verum mulieri deferri ad templum , quasi efferri ad tumulum videbatur , ita erat viribus destituta , sed eius interuentu Valerij , à quo imaginem S. Ignatij narravi facello illatam , erecta est in spem remedij , edocta est opem ex eo quærere , applicitas sibi eius reliquias reuerenter exceptit , marito simul nouem sacra vouente ad sancti altare celebranda. Ipsa voluntate quam potuit maxima , eius apud Deum merita implorauit. Atque hic illam subitus occupat animi defectus , & toto corpore ingens sudor. Post quem restituta exclamat , salua sum prorsus , & morbo plane omni soluta ; lectoque mox surgens , & valida , eo ipso die , in S. Ignatij facellum se confert valetudinis ac vita meritas gratias professura.

Aliquanto post hæc admiranda , in pago , cui Pardo nomen , duodeniss paella ex profluvio sanguinis diem obierat. Flebat mater dolore confixa coram S. Ignatio , flagitans ut suam , hoc etiam in filiae casu , potentiam celebraret , nec enim illi operosius futurum mortuo vitam à Deo obtinere , quam membrorum officiis capto , restitutionem. Horas iam quatuor iacebat mortua , cum ecce vocem appellantis se , mater excipit , Viuo , inquit , mater , S. Ignatius me vitæ reddidit ; surgensque , non modo sanitatem , sed plenis viribus donata , paulo post ad oues pascendas rediit.

Neque huic vni puellæ mortuæ , vitam S. Ignatius exorauit ; Munibregensis Medici filium fere adhuc trimestrem , offula ex vino præfocarat , dabatque iam parens de illius funere mandata , ex oposito mater eius vitam ab Sancti Ignatio reposcens , infantem oleo liniuit quo lampas in

HHh 2 eius

L.
Visum prope
caca perspi-
cacem respi-
pit.

LI.
Multis dia-
turnis , ☩
grauiibus
morbis impli-
cata sanatur.

LII.
Puella mor-
tua vita redi-
ditur.

LIII.
Infans mor-
tuis suscita-
tur.